Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 791
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 105. alia manu *Codicem* terminat Epiſtola illa *de Cura Rei familiaris* ad *Raymundum militem*, *dominum Caſtri S. Ambroſii*, olim tributa *Bernardo Claravalleuſi*, ſed revera *Bernardi* cujusdam *Silveſtris*, et cum in *Codd.* tum in antiquioribus prioris Editionibus obvia. De Autore adi *Oudinum T. II. col.* 1005. Ad ejus calcem legitur: *In nomine domini noſtri ihesu chriſti amen. anno domini milleximo quatragenteſimo octuogeſimo et octauo: Regnante Serendiſſimo et illuſtriſſimo domino noſtro domino Ferdinando de aragona: et Cetera: la illuſtriſſima Signora ducheſſa de calabria laſſo lo ſuo ducato et mori ſepulta In nuntiata de napole.* Fuit haec *Hippolyta Franc. Sfortiae Mediol.* filia, conjux *Alphonſi* II. Ducis *Calabriae*.

CCCLIX.

R. 3070 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 108. f. per duas columnas praeclare ſcriptus, rubricis diſtinctus, et olim Bibliothecae *Montis Pomerii*, ſeu *Pomarii* Ord. Ciſt. bonae frugis admodum feracis ſequentia cenſet: I. *Incipit liber Sancti Auguſtini epiſcopi de diffinitionibus eccleſiaſticorum dogmatum. Qualiter in deum credatur.* Initium: *Credimus unum Deum eſſe patrem & filium & ſpiritum ſanctum. Patrem eo quod habeat filium* &c. Refertur majore jure ad *Gennadium Maſſil.* ut jam alias dixi, et extat remiſſus in *Append.* T. VIII. edit. *Maur. col.* 75. ubi Textus noſtro correctior.

II. *fol.* 6. praemiſſo Loco *Retractat.* ſequitur *Tractatus S. auguſtini. De doctrina chriſtiana.* Libris IV. conſtans, ut T. III. P. 1. edit. *cit. col.* 1. hoc initio: *Sunt precepta quedam tractandarum ſcripturarum* &c. Neque hic Textus ad perfectionem Editorum adſurgit.

III. *fol.* 59. praevio Capitulari XXXII. Capp. *Incipit prologus Euſebii Hieronimi presbiteri in Marcum Euangeliſtam.* Ita: *Omnis Scriba doctus in regno celorum ſimilis eſt Homini patrifamilias* &c. Ipſe Commentarius ita infit: *Initium euangelii — kata marcum euangelium per quod uenit redemptio et beatitudo ſanctorum* &c. et ad meliora Exempla exactus legitur T. XI. edit. *Vallarſ.* ſubpoſita S. Doctori Scripta continente *col.* 783. ubi non habetur ad Prologi calcem, quod Librarius noſter adſuit: *Hunc libellum breuiter comprehenſum qui imitando perſcrutauerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo et imitare aſſidue.*

IV. *fol.* 77. p. 2. *Incipit Breuiarium Beati Hieronimi Preſpiteri Super Quatuor Euangeliſtas.* Apud *Martianaeum Maur.* qui illud e Codice *Gemeticenſi* deſcriptum dedit, inſignitur: *Expoſitio quatuor Evangeliorum de brevi Proverbio edita Hieronymi Presbyteri.* Adgnovit νοθειαν *Martianaeus*; Textum vero ita depravatum exhibuit, ut paene nullum exhibuiſſe videri queat. Hoc queritur *Val-*